6276
4
py 1

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 464 6

PA 6276
.W4
Copy 1

6276
.W4

DE CATULLO CALLIMACHI IMITATORE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PAULUS WEIDENBACH,
BEROLINENSIS.

79213

LIPSIAE
TYPIS O. WIGAND.
MDCCCLXXIII.

PA1623.76
.W4

Guilelmo Schaffrath

doctori et advocato Dresdensi viro optime de me merito

litterarumque antiquarum etiamnunc studioso.

I.

Omnes Romanorum poetas elegiacos Alexandrinos in primis Callimachum proposuisse sibi, quos imitarentur, cum ipsi identidem confitentur, tum comparatio inter Alexandrinos Romanosque poetas instituta facile probat[1]). Consentaneum autem est alium alia ratione pendere de graecis, prout suum quemque duxerit ingenium. Hic ne nimii videamur in hac re unum tantum ex elegiacis Romanorum scriptoribus, Catullum, in comparationem vocare in animo habemus. — Ac primum quidem, si accuratius cognoscere volumus, qua ratione elegiaci poetae Romani Alexandrinorum exemplaria, praecipue, qui principatum inter eos teneat[2]), Callimachi imitati sint, ante omnia quaeramus necesse est ipsam Callimachi artem carminum pangendorum qualis fuerit quibusque potissimum nominibus prae aliorum insignis. Sed cum ex numerosis Cyrenaei operibus non nisi perquam paucae exstent adhuc reliquiae, hymnorum 6, epigrammatum fere LXXX, fragmentorum cuiusvis generis in primis elegiacorum magna multitudo, propitia accidit fortuna, ut duas habeamus inter Catulli carmina conversiones

---

[1]) cf. Prop. II, 1, 39 seqq. II, 34, 31. III, 1, 1. III, 3, 51. III, 9, 44. IV, 6, 3. IV, 1, 60 seqq. Ovid. amor. I, 15. III, 350; rem. am. 760. Trist. I, 6. II, 367. Cat. 65, 15, 116, 2. Hor. sat. 1, 2, 105. cf. Call. ep. 33 Ern.

[2]) Dilthey, Cydippa, Lips. 1863. pag. 3 seqq.

poematum Callimacheorum, carmen LXIV et LXVI. Ex fragmentis enim illis elegiarum parum intellegitur, qua ratione composuerit Callimachus elegias suas et disposuerit, quomodo argumenta earum tractaverit et qualia argumenta; nec magis hoc nos docere possunt hymni vel epigrammata, quippe quorum genus ab elegiaco alienissimum sit. Cognita igitur ex duobus carminibus illis Cyrenaei arte alias Catulli elegias comparantes cum illis quomodo imitatus sit Alexandrinum Veronensis, quoad id fieri potest, intellegemus. Non enim nos fugit non nil habere difficultatis ex interpretationibus latinis, quae graecorum exemplarium virtutes vix aequaverint, de Cyrenaei arte poetica universe iudicare. Praeter carmina duo illa, quae quasi fundamentum erunt totius disputationis, tertium insuper accedit adiumentum elegia Callimachi in Cydippam scripta, quam ex fragmentis sagacissimo acumine summaque doctrina instaurandam suscepit vir praeclarissimus Carolus Diltheius (Lips. 1863). In numerosis fragmentis, obscurissimis saepe et deformatis, ubicunque Callimacheae elegiae vestigia quamvis exilia investigari potuit enucleavit vir ille et subtili ingeniosoque iudicio composuit, ut longam illam ac spinosam sed haud infructuosam viam permensus externa Cydippae lineamenta reconcinnarit. Quamvis autem elegia illa in primis apta sit, qua Callimacheae poesis singularis forma atque indoles repraesentetur, tamen, cum saepius accuratior in rebus minutis nos fugiat cognitio et universa tantummodo elegiae compositio retegi possit, non idem valet atque carmina illa supra denotata ideoque secundas ei tribuamus partes oportet*).

Sed priusquam ad ipsam rem tractandam transimus, liceat nobis levi attingamus brachio pristinorum temporum

*) Nec neglegemus Naekii Hecalen, quam eadem ratione ex disiectis poematis membris exaedificare studuit vir praeclarissimus. cf. Naekii opuscula philolog. ed. Welcker Vol. II.

scriptores elegiacos graecos, cum nisi quis quamvis subitaria diligentia carmina illa legerit iusto iudicio miram illam et exquisitam Alexandrinorum artem aestimare ac perpendere non queat. Atque, quod primo statim obtutu omnibus, quicunque Tyrtaei, Mimnermi, Solonis elegias legit, probatur simplicitas illa est artis qua composita sunt carmina. Omnia nativum gestant colorem, nil exquisiti, artificiosi, contorti: profluunt versus ex intimo pectore nullis subtilibus artis normis obstricto, argumenta carminum simplicia, dispositio perspicua, facta plerumque oppositione proceditur et amplificatur argumentum. Exordio, qua sunt elegiae simplicitate et brevitate, nil opus est, statim in medias res progreditur poeta. Desunt igitur rhetoricae transitionum formulae, deest exquisitae doctrinae studium; simplicem naturam omnia redolent. Primo statim disticho:

Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα
ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον

Tyrtaeus in ipsum carminis argumentum inducit, quod sine ulla digressione usque ad finem elegiae persequitur. Simplicem in modum alterum distichon facta oppositione argumentum producit: describitur ignavi miserabilis sors usque ad v. 10: nil moratur poeta inconcinnitatem partium cum prior enuntiationum inter se oppositarum duobus conficiatur versibus, altera octo, sed facta conclusione (11—12) e vestigio ad adhortationes properat, in quibus reliqua tota versatur elegia. — Mimnermi carmina amatoria suavem spirantia mollitudinem prorsus eodem composita sunt modo: argumentum per se simplicissimum nisi rationibus sibi oppositis non variatur:

Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης;

Qui secuntur versibus amoris gaudia placidis iuventutis temporibus laudibus efferuntur; a medio fere carmine, inde a verbis: *ἐπεὶ δ' ὀδυνηρὸν ἐπέλθῃ γῆρας* . . . conqueri incipit poeta senectutis miseram molestamque fortunam. —

Nec subtilius disponendi artificium Solonis elegiarum simplicia argumenta desiderabant; cuius *ὑποθῆκαι εἰς Ἀθηναίους* prorsus eundem in modum, quem apud Tyrtaeum et Mimnermum vidimus, conditae sunt. Nunquam deorum ira et voluntate vestra urbs interibit (1—4), sed (en habes contrarias rationes) vos ipsi, cives, libidinibus vestris, iustitiam nil veriti patriam deletis: et iam omnium effrenata licentia urbem in turpem vocavit servitutem (5—32). Iterum facta oppositione elegia ad finem perducitur: *εὐνομία δ' εὔκοσμα καὶ ἄρτια πάντ' ἀποφαίνει* (33—40). —

Posteriorum contra temporum poetae elegiaci relicta antiquitatis simplicitate nativa docto carminum generi studuerunt: delicatissimo fastidio potissimum poetae Alexandrini nudam illam et incomptam carminum pangendorum rationem oderunt et arcent: quin etiam ab Homericis carminibus, ut quae destituta esset novarum rerum lenociniis atque exquisitiorum fabularum oblectamentis, Callimachi sensum abhorruisse ipse disertus testis est [3]). Delicata carminum arte, in narratione rerum novitate lectores excitare ac delectare voluit Cyrenaeus.. Ergo tritis carminum cyclicorum itineribus spretis obrutos remotosque adiit fabularum fontes, ad quos nisi paucissimis aditus non pateret. Noluit, quae est cyclicorum poematum ratio, unius vel paucorum heroum labores, facta, pericula innumerabili paene versuum multitudine celebrare, sed ad singulas potissimum fabulas angustioribus circumscriptas finibus se convertit, quas summo studio et subtili arte variegavit additis venustis fabellis undique repetitis. Confersit igitur in carmina sua cuiusvis generis fabulas, amatorias, mythologicas, geographicas, accuratas locorum et personarum definitiones *), lepidas imagines, argutulas sententias

---

[3]) cf. epigr. XXXIII. Meinek. Dilthey Cydippa pag. 5 seqq. cf. Naekii Hec. pag. 7 seqq.

*) cf. Naekii Hec. pag. 85 init. Cydippa pag. 28.

γνώμας quas dicunt, deorum scaenas domesticas, iocosos in nominibus interpretandis ludos, solliciti amoris querellas iucunda quadam mollitie insignes: quae omnia mira et subtili arte disposita perpolitis et elimatis carminibus suis inseruit. Sed haec accuratius in ipsis elegiis interpretandis videbimus: his paucis quae in transcursu monuimus continuo iam liquet, quantum intersit inter artificiosissimam hanc Alexandrinorum poesin et simplicem illam et nativam pristinorum temporum.

Quibus ne diutius immoremur transimus iam ad singula examinanda carmina.

Ac primum quidem quod epyllion illud de nuptiis Thetidos et Pelei scriptum attinet (inter carmina Catulliana LXIV) ante omnia quid de auctore poematis censeamus paucis demonstrandum nobis videtur esse.

Hauptius in indice I lect. universit. Berol. an. 1855 studet probare carmen illud Catulli esse nec conversum ex graeco exemplari et integrum esse poema.[4]) De integritate carminis vix erit qui dubitet hodie, sed quod dicit vir doctissimus, id factum esse imitatione tantummodo epylliorum Alexandrinorum, ab eo stare nequeo. Ipse fatetur Hauptius (pag. 11) certius esse expressisse Catullum Alexandrinorum poetarum exemplar orationis forma, versuumque numeris et ipsa totius carminis compositione. ‚Etenim — ut ipsius viri spectatissimi verbis utar — quod partium eius (carminis) aequabilitatem videmus non esse usquequaque concinnam, quod poeta in narratione modo commoratur, et paene verbosus est, modo breviter eam comprehendit et ad alia properat, quod aliquando degreditur a narratione et ad eam redit, nimirum penitus quasi hausit Alexandrinorum poetarum ingenium, quos hanc carminum inaequalitatem non

---

[4]) Contra Merkelium, qui in prolusione de Ov. Ibide scripta pag. 360, cum v. 25 non recte perspexisset, contenderat, carmen LXIV non nisi partem esse maioris.

devitasse sed studio quodam consectatos esse cum aliis indiciis cognoscimus, tum Callimachi hymni manifesto ostendunt'. Addit praeterea in carmine LXIV pro ‚mari' ‚Tethyn' posuisse Catullum: et similiter locutum esse Cyrenaeum probabile esse propter Veronensis versus in elegia Callimachea de coma Berenices scripta:

Sed quamquam me nocte premunt vestigia divom
Lux autem canae Tethyi restituit . . .

Quod dixit Catullus in v. 18 c. LXIV ‚nutricum tenus' pro ‚mammarum tenus', sicut consimili ratione graeci τίτθαι usurpant certi nil habet documenti, cum tale exemplum in Callimacho non prostet. Cum tot causas coacervet Hauptius, quibus veri simillimum evincitur, carmen illud ex Alexandrinorum graeco exemplari conversum esse, paene nullas invenire nos posse fatemur in dissertatione illa, quibus hac sententia refutata probetur libera Alexandrinorum imitatione miram hanc carminis compositionem declarandam esse. Nam quid de variis Homeri, Theocriti, Callimachi vestigiis, quae reperisse Hauptius in hoc epyllio videtur sibi, iudicandum sit optime exposuit Riesius in Mus. Rhen. an. 1866 pag. 498 seqq. In huius igitur viri doctissimi sententiam pedibus transeo [5]), qui ex Callimachi fragmentis quae superesse graeci exemplaris fragmina videntur curiose rimatus acute composuit, ut dubium vix queat esse, quin epyllion illud unum de iis carminibus sit, quae Catullus Q. Hortensio Hortalo missurum se esse in el. LXV promittit.

Poema LXIV, epyllion, quamquam elegiacis versibus non est compositum, tamen, quod in confinio positum est lyricae et epicae poesis ideoque haud paucis nominibus aptam imaginem nobis elegiacae Callimachi artis repraesen-

[5]) Quam etiam Merkelius protulit in libro supra denot. pag. 360.

tare potest, fundamentum quasi una cum Coma Berenices substruemus toti disputationi.

Proprium est Alexandrinorum eorumque sectatorum, ut carmina nullo praeparent exordio, sed ab ipsa narratione incipiant[6]). Verum tamen hoc epylli initium ab eligiarum quantum distet postea fusius exponemus.

Hic iam liceat nobis universe aliquid de compositione et structura carminum Alexandrinorum elegiacorum notare, quod plurimis exemplis postea nobis probabitur. Primis enim Tyrtaei, Mimnermi, Solonis temporibus tota elegia, ut cuius argumentum per se simplex esset ac breve uno profluebat tenore; unum eundemque colorem omnia ostendebant; sed cum in dies magis variarentur argumenta, cum doctrinae artisque nimium studium pristina simplicitate deleta plurimas maximeque diversas res in unius carminis argumentum congereret eaque prolixiora fierent, simplex et disponendi et enarrandi ratio non iam sufficiebat; subtili arte omnia componenda et ordinanda erant et certis, ne diffluerent singula, finibus circumscribenda. Subest igitur plerumque doctae Alexandrinorum elegiae aliqua narratio, quae naturali serie epicum in modum decurrens externis quasi finibus carmen circumscribit velut pictam imaginem lignea forma. Quae epicae narrationis externa lineamenta per se poemati elegiae nomen et colorem dare nequeunt; immo sunt non nisi tela, cui innectuntur ipsius lyricae poesis fila. Non igitur uno tenore prolabitur elegiacum Alexandrinorum carmen*), sed commoratur iamiamque

---

[6]) Haupt. in ind. lect. univ. Berol. 1855 pag. 9 scribit: Catullus ne in hac quidem re ab Alexandrinorum poetarum imitatione alienus, quemadmodum in medias res lectorem rapiunt Theocritus Heraclisci, Moschus Europae et Megarae initiis. — Adde: Callimachus in Coma Beren. et Cydippa, cf. Dilthey pag. 28. — cf. quae contra disp. Naekius in Hecale pag. 28 seqq.

*) Odisse *δηνεκὲς ἄεισμα* Callimachum cf. Naekii Hec. pag. 34.

narratio, ut interponantur omnia illa, quae poesis Alexandrinorum elegiacae propria paullo ante vocavimus. Iam ex eo quod diximus nemini mirum videri potest, cur narrationem illam epicam, quae externa tantummodo carminis forma sit, magis adstricta brevitate comprehendere ament poetae Alexandrini, cum in ipsis lyricis carminis partibus uberiores versentur. Hoc igitur ante omnia tenendum est, epicas istas narrationes ideo tantum subiectas esse carminibus, ut ad eas annecterentur lyrici versus, ut quibus unis elegiae vis ac natura contineatur.

Sed redeundum iam est ad viam. Carmen LXIV, quod nunc aggrediemur etsi epyllion est, neque omnia in id quadrant, de quibus modo exposuimus, tamen quod ad compositionem universam attinet saepius persimile est elegiarum rationi. —

Magnificis versibus carmen de nuptiis Thetidis et Pelei scriptum orditur: sedata quae decet epicum poema oratione narratur in Argonautica expeditione, cum prima Argo rudem imbuerit Amphitriten, primum conspexisse Thetidem Pelea:

> Tum Thetidis Pelèus incensus fertur amore,
> Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
> Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.

Adstrictam hic licet mirere brevitatem; tribus his hexametris totus inter deam et heroem amor absolvitur. Peleus adamavit Thetidem, Thetis Pelea, Juppiter optimus maximus probavit matrimonium. Huc prorsus pertinent, quae Riesius in dissertatione supra iam denotata scripsit: ‚Auch die Ungleichmässigkeit zwischen der sehr breiten Detailmalerei einerseits und dem summarisch schnellen Fortschritt der Erzählung an anderen Stellen, auf welche Haupt hinweist, (loco supra laudato) ist, obgleich überhaupt Alexandrinische Sitte oder Unsitte, doch dem Callimachus insbesondere sehr eigenthümlich‘. Huc addam, eas potis-

simum partes, etiam in hoc epylliorum genere, concisiore narratione tractare Callimachum, quae ab epica poesi propius absint, cum in locis ad lyricum genus propensioribus — ea enim est Cyrenaei ingenii poetici indoles — magisque idoneis, qui doctrina tractentur, verbosius versetur.

Qui secuntur versus inde a 22 usque ad 31 prorsus sunt ex more poesis Alexandrinae. Poeta invocat heroes in primis Pelea et pollicetur saepe poesi sua se celebraturum esse eos: hunc prooemiorum finem cum omnino graecis proprium fuisse tum Alexandrinos hanc veterum hymnorum clausulam imitatos esse docet Hauptius in libello ante denotato [7]). De v. 29 seqq:

> Tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine?
> Tene suam Tethys concessit ducere neptem
> Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?

recte iudicavit Riesius tales quaestiones, exclamationes, rhetorice dicta Callimachi esse (cf. 94—100, 71—75, 116—123) cuius rei in Coma Berenices plurima prostare exempla postea videbimus. Cum hic paullulum commorata sit narratio usque ad v. 51 uno tenore prolabitur: nuptiarum dies cum venisset undique omnes Thessali Pharsalum coeunt: omnis labor cessat: docta, quam amat Callimachus [8]) enarratione Thessaliae urbes enumerantur laborumque

---

[7]) pag. 10. addit exempla et ex veteribus hymnis duo et ex Theocriti Laudatione Ptolemaei unum — Quod scripturam horum versuum attinet eundem compara locum. — Miror hos versus non persuasisse Hauptio ut ipsi Callimacho hoc tribueret epyllion: recte enim monuisse mihi videtur Riesius vv. ‚heroes salvete, deum genus . . . vos ego saepe meo, vos carmine compellabo‘ in talem quadrare poetam, cuius sit inprimis epyllia vel hymnos componere, quod Catullus de se dicere vix potuerit.

[8]) cf. Dilthey Cyd. pag. 46 et 54.

varia genera. Describitur aulae regiae splendor, deae pulvinar geniale vestisque conchyli fuco tincta:

Haec vestis priscis hominum variata figuris
Heroum mira virtutes indicat arte —

His verbis traducit poeta ad narrationem de Ariadnae desertae fletu factam*), quae 212 vv. complexa in medio carmine 408 versuum posita est. Lenocinium hoc est ex more poetarum Alexandrinorum, quo incitent lectores dulcissimam carminis varietatem sequentes. Callimachus, quo est cyclicorum carminum taedio, facere non potuit, quin etiam huic epyllio ornamento ad lyricam poesin propensiore venustam quandam adderet dulcedinem. Narratio haec artificiose toti carmini innexa, qua est versuum multitudine, procul dubio epylli gravissima pars est, quam summa arte summoque studio condidit poeta et elimavit**) Sed ipsam curiosius examinemus rem.

Inde a v. 52 usque ad 70 omnia cohaerent et prolabitur narratio sine haesitatione; describit poeta Ariadnam a Theseo desertam in litore Diae fluentisono prospectantem, quibus crucietur doloribus: nil curat delapsum a corpore vestitum ante pedes alludi undis, toto animo pendet e Theseo. Vv. 71—75 respicientes ea, quae antea facta erant ad sequentia transducunt. En habes Callimachi narrandi artificium, cuius observandi haud paucas inveniemus occasiones. Namque Cyrenaeus ne epico more res naturali et perpetua serie defluentes narret praeoccupare solet posteriora, ut inde flexo itinere regrediendo res antea gestas persequatur donec rursus unde exordiebatur rediit.[9]) Quo fit, ut legentium

*) Thesei fabulam saepius tractasse Callim. constat: cf. Naekii Hecale pag. 55 seqq. et pag. 65 fin.

**) cf. quae de lyrica Hecales parte scribit Naek. pag. 117 fin: insignis pars carminis, in qua Callimachum multa cum diligentia et cum sua voluptate elaborasse credibile est.

[9]) In Cydippa initium enarrandi sumit ab eadem re, in qua desinit, nuptias dico Cydippae et Aconti: his principio commemoratis

defatigatio et taedium devitetur et narratio artificiose in quadrum redacta lectorum animos delectet. Attendas etiam certa formula uti Callimachum ut regrediatur ad res ante actas: legimus enim in v. 76:

Nam perhibent olim . . .

et in v. 212, ubi iterum adhibet illud artificium:

Namque ferunt olim . . .

Inde a v. 76 usque ad 123 narrantur quae facta erant postquam in Cretam venit Theseus: amor eius et Ariadnae [10]), Minotauri caedes, reditus ex labyrintho, utriusque fuga: tota narratio Callimachi arte ingenioque digna et venusta est (cf. vv. 86—93), similitudine (105—111) ex Homeri ratione longius deducta insignis; quamquam etiam rhetorice dicta non desunt, velut 95 seqq. et 116 seqq., ubi transitione prorsus rhetorica narrationem producit poeta.

In v. 124 iam unde exorsa erat oratio rediit: vides rursus Ariadnam in litore Diae amoris doloribus vexatam. Hic commoratur aliquantum narrationis cursus, ut inde a v. 132 usque ad 201 Ariadnae fletus carmini innectatur*). Eadem prorsus ratione in Cydippa Aconti in solitudine abditi flebiles clamores interponuntur. Tales Cyrenaei poematum locos antiquo tempore haud leviter animos com-

---

relabitur ad ea, quae ante nuptias facta erant, ut exinde deorsum procedat narratio eo reditura unde ordiebatur, cf. Cydippa pag. 28. Idem artificium postea in Coma Beren. notabimus. Consimili ratione Callimachus in Cydippa Aconti sermonem amatorium utrimque facta ad arbores apostropha subtili arte cinxit, cf. Dilthey pag. 88. — cf. Naekii Hec. pag. 84. fin. —

[10]) v. 86 seqq. Hunc (Thesea) simulac cupido conspexit lumine virgo regia . . . non prius ex illo flagrantia declinavit lumina, quam cuncto concepit corpore flammam . . . idem narrant quod in Cydippa Callimachus: primo visu *κατὰ θεῖον* Aconti amor exardet. cf. Dilthey Cyd. pag. 55, 56.

*) cf. fletum Hecales: Naek. Hec. pag. 233—253.

movisse magnaque viguisse gloria docet Diltheius. Et sunt profecto eiusmodi Callimachi versus iucunda quadam mollitudine insignes, teneris, qui decent sollicitos amantes, coloribus ornati, ut Callimachi laudes haud miremur. Quorum locorum pulcritudine et suavitate factum putamus, ut Aristaenetus in Cydippae paraphrasi illum potissimum sermonem amatorium accuratius exscriberet [11]) et duo temporum Augusti poetae Lygdamus (in eleg. VI. 39 seqq.) et Ovidius (fast: III. 465 seqq.) Catullianos istos versus admirati hanc testarentur admirationem revocatis in legentium memoriam nonnullis ex his versibus [12]). In ipsis verbis nil inest, quod moneamus, omnia praeclara nec quidquam Callimacho indignum. Fervidus est sensuum ardor et legentium intimum pectus movens. Vides igitur, ne in hoc quidem epylliorum genere elegiarum dulcioribus modis carere posse Callimachum; sed certo consilio hanc lyricam partem in medio carmine epico inseruisse, ut quae suam daret lucem poemati. Ergo recte iudicare puto Diltheium cum scribat: ‚(Callimachus) ipse, Alexandrinae elegiae antistes, qui suam sibi elegit semitam persequendam, tantum afuit, ut particeps esset communis Homeri admirationis, ut in contrariam potius partem aliquod exemplum effingere vellet, tamquam noviciae scholae auctor'. Atque mihi quidem vix dubium videtur, quin hoc poematum genus inter epicam et lyricam poesin interiacens illud fuerit, quod opponere voluerit cyclico Homeri carmini. *) —

Inde a v. 202—211 narratio progreditur. Exsecrata erat Ariadna ultimis fletus versibus infidelem virum eiusque

---

[11]) cf. Dilthey Cyd. pag. 46.

[12]) cf. Haupt. ind. lect. univ. Berol. 1855 pag. 6.

*) Prorsus eadem ratione qua epyllion hoc, Callim. Hecale composita fuisse videtur: inter epicam de tauro Marathonio narrationem posita erat lyrica Hecales cum Theseo hospitii descriptio, cf. Naek. pag. 123 sub fin.

domum: audivit Iuppiter et annuit precibus: impendet iam calamitas Thesei domui; alba vela non sustulerat seni patri felicem nuntiatura reditum. Eodem nunc artificio utitur, de quo ante ad v. 76 exposuimus: nam v. 212: namque ferunt olim . . . . directa narrationis via relicta regreditur usque ad id tempus, quo Theseus patria exire parabat; exinde procedens deorsum percurrit Aegei patris praecepta. In v. 241 unde declinarat oratio reversa est et nunc iterum usque ad v. 248 progrediens Aegei mortem persequitur.

Pertractatis tam artificiosa ratione rebus a Theseo gestis ab exitu ex patria usque ad reditum (ita ut haec quoque narratio in quadrum quasi redacta sit) etiam Ariadnae sors sequentibus versibus (249—264) ad finem perducitur: annectitur igitur narratio ad illum locum, ubi Ariadna in Naxi insulae litore fluentisono cedentem Thesea prospiciens describitur: dum varias in animo volvit curas, subito Bacchus cum furente sua turba advenit petitque amore incensus desertam: nec praetermittit hanc occasionem Callimachus accurata et docta sacrorum bacchanalium descriptione hanc lyricae poesi propensiorem carminis partem includendi.

Vv. 265—266 repetita vv. 50 et 51 sententia complexi iterum antecedentia ad sequentia traducunt: consimilem rationem habes in vv. 130 et 131 et 202; 52—53 et 249—250; 321—322 et 382—383; quo fit, ut singula carminis membra accuratius distincta utrimque melius concludantur. —

Pergitur exinde in narratione nuptiarum Thetidis et Pelei; abeunt qui spectatum venerant ex tota Thessalia, ut diis decedant; quorum discessus epico Homeri more [13]) similitudine illustratur (cf. 105 seqq). Regia ab iis relicta veniunt cum donis Chiron, Peneus, Prometheus, Iuppiter

---

[13]) cf. Riese in Mus Rhen. 1866 pag. 502—503.

cum sancta coniuge natisque, Phoebo excepto eiusque sorore, qui uni de diis aspernabantur Pelei et Thetidis nuptias (278—302)*). Abundant haec omnia doctrina et materiae copia, quae uno saepe vel paucis verbis (quo est brevitatis studio poeta) indicatur (cf. 291, 294 seqq. 299 seqq). Ad mensas large constructas discumbunt dii: Parcae interea divino carmine amantibus fata praefantur. Sicut antea (in vv. 251—269) docte et curiose bacchantium turbas depinxerat Callimachus, hac quoque usus occasione accurate quattuordecim versibus Parcas earumque habitum describit[14]). Qui sequitur Parcarum cantus (323—381) subtilem Callimachi artem novo testatur exemplo: fata enim quae imminebant novis nuptis si epico more naturali rerum serie narraret, supra epylli angustiores fines longius progrediendum ei esset et carmen ad instar cyclicorum composuisset, quorum genus arcet et odit. Venuste igitur et commode, ut prospectum quasi daret in futura coniugum tempora nec ultra fines vagaretur, has partes variata praeterea apte narrationis ratione Parcis tribuit, quae futura artificioso carmine usque ad Achillis mortem adumbrarent. Mirabili igitur arte magnam argumenti copiam quam fieri poterat brevissime disposuit. Quod Callimachi studium bene percepisse Riesius videtur mihi; scribit enim in dissertatione saepius iam laudata: ‚Callimachus strebt danach .... innerhalb eines kurzen Raumes und beschränkten Kreises möglichste Stoffmassen heranzuziehen und kurz zu disponiren‘. —

Versibus inde a 384 peroratio incipit: graviter ac sententiose, ut ait Hauptius, absolvitur carmen: nec abhorret haec

---

*) De causis huius rei v. Muretum, comment. in Catull. 1558 pag. 121.

[14]) Consimili modo etiam in pomo illo amatorio Aconti Callimachum ostendisse doctrinam testatur Dilth. pag. 66.

ratio a Callimachi more et ingenio; dicit enim Diltheius[15]) quibusdam cognosci indiciis, cum γνώμας quas dicunt suique sensa animi inseruisse Cyrenaeum, tum rerum suarum memoriam identidem immiscuisse. Quae sententia his ultimis epylli versibus optime nobis probatur: donec pietatem inviolatam servabant mortales, dii inter homines versabantur; fugerunt hominum usum et consuetudinem, ubi primum tellus scelere imbuta est. —

Sed haec quidem hactenus; quid fructus perceperimus tractato hoc epyllio postea videbimus. Sequitur ut nunc uni quae exstet de Callimachi elegiis operam navemus, carmini inter Catulliana LXVI. Atque primum quidem Catulli Comam Berenices unam de iis esse Callimachi elegiis, quas ex graeco translatas Veronensis in epistola ad Q. Hortensium Hortalum (cf. LXV, 21) data amico mittere se dicit nemo erit, qui infitietur.[16]) Praeterea expressum esse hoc carmen satis accurate ex graecis Cyrenaei paucis docemur quae adhuc exstant graecae elegiae fragmentis quaeque hic cum conversione latina componimus.[17])

v. 7. Idem me ille Conon coelesti in lumine vidit
E Bereniceo vertice caesariem
Fulgentem clare, quam multis illa deorum
Levia portendens brachia pollicita est.
Ἦ μὲ Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
βόστρυχον ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς

v. 40. (Invita:) adiuro teque tuumque caput
σήν τε κάρην ὤμοσα σόν τε βίον

v. 48. Juppiter ut Chalybon omne genus pereat
Et qui principio sub terra quaerere venas
Institit ac ferri frangere duritiem
[*Ὦ Ζεῦ πᾶν*] *Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος*
γειόθεν ἀντέλλοντα, κακὸν φυτόν, οἳ μὲν ἔφηναν.

---

[15]) cf. Dilth. Cyd. pag. 76.

[16]) cf. R. Westphal pag. 63 (Catull, Breslau 1867.)

[17]) cf. Valcken. Call. fragm. eleg.

Sed iam ad ipsam transeamus rem.

Initium huius elegiae ab epylli valde distat; nec est cur miremur hoc: carmen enim illud LXIV ad epicum genus propensius initium sumsit ab ipsa naturali narrationis serie ac via:

Peliaco quondam prognatae vertice pinus etc.

elegia autem haec incipit statim ab artificio illo, cuius supra ad vv. 76 et 212 fecimus mentionem: primis versibus praeoccupatur id, quo narratio, cum exinde regrediendo et rursus progrediendo res ante gestas percurrerit, redit ac desinit. Vides igitur iam principio carminis Comam Berenices inter stellas fulgentem et audis postea cum regreditur narratio usque ad initium rerum gestarum, quae acta sint antea. Externa igitur carminis lineamenta, quibus ipsa elegia annectitur narratio est translatae inter sidera Comae Berenices. Hanc unam superstitem esse ex Callimachi elegiis aegre ferimus, cum vel ex ea Cyrenaei ars poetica minus apte cerni queat. Argumentum carminis, quod procul dubio querellae sunt Comae Bereniceae, quibus luget abesse se a reginae vertice, per se vix idoneum putes, quod elegiacis versibus tractetur; reluctatur, qua est duritie et asperitate, lyricae poesis mollioribus affectibus. Omnino haec ratio loquentis lamentantisque comae nostris repugnat sensibus. Quae igitur inveniemus minus laudanda non tam poetae ingenio quam ipsius argumenti generi iure tribuemus. Itaque fatebere Callimachum ex his angustiis, in quas officiosus et gratus erga Ptolemaei regis familiam animus poetam vocarit, quam fieri possit optime sese expedisse. —

Primi poematis versus externam elegiae formam inducunt, quae primo statim obtutu sedatiore epicae orationis cursu intellegitur, cum eae carminis partes, quibus ipsa elegiae vis ac natura contineatur, lyrico affectuum colore designentur.

Ad instar pleni et tumidi fluminis initium totius poematis nobis offunditur: Conon, qui omnia vidit caelestia et no-

vit, me, Berenices comam fulgenti in lumine inter astra aspexit, me quam regina diis devovit, cum vir paullo post nuptias[18]) Assyriis bellum intulit (1—14). Totum hoc initium per tria disticha volutum, quamquam tolerabile videtur quod posterior enuntiati pars quattuor disticha amplectens priori par est, aptum, ut ita dicam, *ἀντίρροπον* praebens, tamen quod ad sententiam attinet, longius videtur esse; variatur enim et amplificatur nulla cogente causa idem sensus; simul oblata hac occasione non praetermissa doctrinae mythologicae specimen affertur, (quo in genere uberiores versari Alexandrinos poetas supra iam notavimus) Endymionis et Dianae amores, quod toti loco nescio quem splendorem tribuat. Inde a v. 15 ipsa incipit elegia: nocturnae illae amantium rixae, quas commemoravit ultimum distichon, in poetae animo quaestionem excitant: Estne novis nuptis odio Venus? Eiusmodi igitur transitione usus est, quae fortuito facta videatur esse, sed procul dubio arte est excogitata. Amare enim talia Callimachum, quaestiones, exclamationes, rhetorice dicta ad c. LXIV v. 94 iam observavimus. Primi lyrici versus 6:

Estne novis nuptis odio Venus? anne parentum
  Frustrantur falsis gaudia lacrimulis
Ubertim in thalami quas intra limina fundunt?
  Non, ita me divi, vera gemunt, iuerint!
Id mea me multis docuit regina querellis
  Invisente novo praelia torva viro —

inter se cohaerent et unum quasi conficiunt corpus: pentameter enim: Non, ita me divi . . . . respondet quaestionibus et confirmatur sequenti disticho. Omnino licet attendas in

---

[18]) Quod ad vv. 13—14 attinet: Dulcia nocturnae portans vestigia rixae, Quam de virgineis gesserat exuviis cf. in Aristaeneti paraphr. Cydippae simillimum locum: *ὁ δ' οὖν τῇ παρθένῳ βραχέα νυκτομαχήσας κ. τ. λ.* et praeterea Dilthey pag. 99. In talibus igitur sibi placet Cyrenaeus.

hac elegia singulas sententias laxiore saepe vinculo inter se esse conexas atque adeo nonnullas supervacaneas videri, quod minore iure imbecillo poetae animo, quam argumenti duritiei et asperitati crimini vertas. Leviter sequentia ficta interpellatione cum antecedentibus coniunguntur:

At tu non orbum luxti deserta cubile
Sed fratris cari flebile discidium?

Nec arctius quam antea quae secuntur disticha cohaerent cum praecedentibus: quaestionibus illis praetermissis poeta illud ‚luxti deserta' et ‚flebile discidium' excipit et rhetorice depingit Berenices dolores:[19])

Quam penitus maestas exedit cura medullas
Ut tibi tunc toto corpore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit, at te ego certe
Cognoram a parva virgine magnanimam.

Ipsa haec ultima verba respiciens et ‚magnanimam' illud quamvis obscure[20]) declarans pergit poeta:

Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Coniugium, quo non fortius ausit alis?

Eadem oppositione: quam in v. 25 iam adhibuerat (sensibus ereptis mens excidit — at te ego certe cognoram magnanimam) iterum utitur poeta ad transitionem (quamquam fortissimam te praestiteras)

Sed tum maesta virum mittens, quae verba locuta es
Juppiter ut tristi lumina saepe manu.

---

[19]) cf. c. LXIV v. 29. et pag. 13.

[20]) Callimachi est hoc. cf. ad c. LXIV v. 299 seqq. studet enim Call. quam fieri potest brevissime vel plurimas res in unius carminis ambitum congerere. Quod bonum illud facinus fuerit v. Muretum: commentar. in Catull. 1558 pag. 113. (Hygin. lib. II Astron.): ‚Nonnulli cum Callimacho dixerunt Bereniceu equos alere et ad Olympia mittere consuetam. Alii hoc dicunt amplius Ptolemaeum, Berenices patrem multitudine hostium perterritum, fuga salutem petisse, filiam autem saepe consuetam insiliisse in equum et reliquam exercitus copiam constituisse et complures hostium interfecisse; ideoque fratrem sororis amore esse correptum.'

Quod sequitur distichon:

> Quis te mutavit tantus deus? an quod amantes
> Non longe a caro corpore abesse volunt?

otiosa paene et vulgari quaestione hanc lyricam carminis partem concludit. Inde a v. 33 repetita priore (v. 10) sententia[21]) pergitur (33—38) in circumscribenda externa carminis forma, quae ansam praebeat ipsis elegiacis sensibus. Me igitur pollicita est Berenice diis se dedicaturam, si reditum nactus esset vir; quod accidit: A sia enim subacta domum ille rediit, quare ego, coma, diis sacrata sum. Hoc loco iterum annectit poeta admodum concitata, quae decet lyricum carmen, oratione versus elegiacos sensus spirantes. Coma Berenicen ipsam compellat, id quod antea iam in prima parte elegiaca (v. 21) observare potuimus, cum in externis illis poematis lineamentis Berenice in tertia plerumque persona nominetur. — Vv. inde a 39 cum praeeuntibus levi quadam et occulta oppositione cohaerent: quamquam de vertice tuo cessi, tamen invita cessi. Inde a v. 39—42 omnia aptissime et arctissime composita sunt:

> Invita, o regina. tuo de vertice cessi
> Invita: adiuro teque tuumque caput
> (Digna ferat, quod si quis inaniter adiurarit!)
> Sed qui se ferro postulet esse parem?

Doctrinae studium, cuius saepius iam fecimus mentionem, (cf. ad c. LXIV v. 35 seqq. 251, 278, 307 seqq.) etiam hoc loco probari videmus: exemplum enim illud, quod inde a v. 43 sequitur, quo ferri vis declaretur ex more Alexandrinorum apponitur: ornamenti genus est, quo poetae illi utuntur ut et opera sua exornent et quanta in iis insit doctrina ostentent. Coma illa expromit sapientiam suam et exquisito exemplo defendere se studet: omnia haec artificiosa,

[21]) De hac transitionis forma v. ad c. LXIV v. 265—266.

sed, quae est argumenti durities, haud scio an quis meliora scribere queat. En habes exemplum:

Ille quoque eversus mons est, quem maxima in oris
Progenies Thiae clara supervehitur;
Cum Medi peperere novum mare, cumque iuventus
Per medium classi barbara navit Athon.

Cum repetit poeta (id quod antea iam in v. 33 fecerat) v. 42 sententiam ad nova progreditur, ita, ut ad ‚ferrum' illud se referens (quo transitionis genere iam in vv. 14 et 22 usus erat) tribus versibus vehementer et rhetorice in metallum illud invehatur his verbis:

Juppiter, ut Chalybon omne genus pereat
Et qui principio sub terra quaerere venas
Institit ac ferri frangere duritiem!

Iterum his elegiacos carminis sensus intermittens Callimachus sedatiore oratione externam poematis formam per 9 disticha ad finem perducit, ut habeat, unde versus, in quibus ipsius elegiae vis ac natura posita sit, annectantur. — Lugentibus adhuc sororibus amissum crinem venit Arsinoes Locridos ales equus et me, comam, in Veneris gremio posuit. Ipsa dea Zephyritis nuntium miserat, ne sola Ariadnes aurea corona in coelo fulgeret et mihi novo inter antiqua astra locum tribuit iuxta Callisto Lycaonida (51—68). Callimachum doctum elegiae genus summo studio sectari hi quoque versus diserti sunt testes: abunde omnia mythologica non minus quam astronomica doctrina rhetorice distincta et illustrata sunt. Eadem ratione, qua in v. 39 ipsi lyrici sensus externis innectebantur lineamentis, ut coma ad ipsam reginam conversa intimos pectoris sensus aperiret et quibus affectibus moveretur admodum vehementi oratione ostenderet, hic eodem modo de suo ipsius dolore et sensibus loquitur. Sed qui conexa sunt haec cum iis, quae antecedunt? Plane eundem in modum, quo supra v. 39 facta oppositione: quamquam divinis honoribus dignam me putavit Venus, tamen

non beate vivo. Quibus in versibus summa elegiae versari videtur: subtili arte Callimachus maximam erga reginam adulationem his subiecit verbis: aspernatur coma summam felicitatem, pro nihilo habens divinitatem, dummodo ne a dominae vertice absit. Praecipue parenthesi illi:

Namque ego non ullo vera timore tegam
Nec si me infestis discerpent sidera dictis,
Condita quin verei pectoris evoluam,

Callimacheae Musae nota impressa est (cf. quae ad v. 41 monuimus). — A v. 79, verbo ‚Nunc', quod omnia praecedentia absolvens ad nova traducit, peroratio incipit: unguenta in extremo versu memorata ad sequentia iam spectant et ad finem transducunt. Peroratio elegiacis coloribus tincta est, quod oculis iam significatur facta compellatione. Interrupta subito sententiarum serie exclamatione inexspectata tota elegia finitur:

Sidera corruerint utinam! coma regia fiam,
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion!

Quibus verbis summa affectus vehementia totius elegiae argumentum, quod versatur in querellis comae, abesse se a Berenices vertice, mira brevitate extremo comprehenditur. —

Hic paullulum consistamus, ut breviter repetamus, quae inprimis de genere poesis Callimacheae invenimus utque imaginem eius ante oculos nobis ponamus.

Quattuor sunt potissimum res, quas Callimachi artis proprias et singulares putamus. Primum enim elegia — id enim est argumenti genus a pristinorum temporum simplicitate abhorrens — externis circumscripta est lineamentis ad epicam poesin propensioribus, quae ansam praebeant ad ipsam innectendam elegiam. Deinde artificio quodam utitur poeta in carminis compositione, quo efficitur, ut oratio in circulo quasi currens in quadrum redigatur et iucunda hac forma legentes delectet: namque praeoccupatis posterioribus regrediendo usque ad rerum initium et exinde rursus pro-

cedendo persequitur oratio res antea actas et redit denique unde exorsa est. Atque hunc narrationis circulum non solum in universa elegiae structura adhibet poeta, verum etiam in singulis carminis partibus. Tum repetita persaepe priorum versuum sententia transitionem petit ad sequentia, qua re elegiae partes melius utrimque cinguntur et distinguuntur. Postremo summo studio cuiusvis generis doctrinam quaerit poeta, nec ullam praetermittit occasionem, carminis argumentum, quoad eius facere possit, variandi et amplificandi.

Sed sit iam huius disputationis modus. Restat, ut quid de Callimachi arte, quae in elaborandis versibus spectetur, dicendum sit videamus.

Atque si latinas illas Catulli versiones cum hymnis Callimachi comparamus idem iudicemus oportet; nam quamvis laudetur illud *τορευτὸν ἔπος* Alexandrini, tamen Callimachi distichon conferendum non est cum perfectis versibus Tibulli, Properti, Ovidi. Callimachi versus molliter properantes nunquam nec fragore nec hiatu aures laedunt: perpoliti sunt et blandi. Ut pentameter mollius incedat in versus illius clausulis longioribus usus est vocibus. In h. in L. P. inter 71, quibus carmen illud conficitur pentametris, 57 inveniuntur clausulae duabus syllabis longiores, quarum tres sunt sex syllabarum, 17 quinque, 15 quattuor, reliquae 22 trium. In Catulli coma Berenices inter 47 pentametros legimus 6 trium syllabarum, 26 quattuor, 3 quinque. Alterum artificium, quo versuum mollitiem adpetivit Callimachus positum est in vocibus in pentametri hemistichiis similiter desinentibus. Id enim egit, ut voces non solum sententia coniunctae sibi essent, verum etiam pari sonitu responderent et invicem se quaererent. Cuius rei permulta exstant exempla: in h. in L. P. 8. 12. 14. 20. 22. 26. 32. 38. 50. 60. 64. 72. 86. 88. 94. 100. 102. 112. 138. — C. B. 2. 6. 14. 16. 20. 38. 56. 68. 84. — Huc spectat quod Hauptius in ind. lect. univ.

Berl. ann. 1855 pag. 11 de versuum numeris exposuit. Scribit enim Catullum in carmine LXIV Alexandrina plane diligentia cavisse, ne quis versus hexameter post quartum trochaeum incisus esset*), pariter Alexandrinae artis imitationem ostendere versuum qui in quinto pede spondeum habeant et multitudinem et magis etiam vocabulorum in quae numerose cadant artificiosum delectum. Placuisse autem Catullo eiusmodi versus tantopere, ut semel (v. 78 seqq.) tres continuos faceret σπονδειάζοντας. Leguntur autem in c. LXIV omnino 31 versus spondiaci, in c. LXVIII b 5, in C. B. 4.

Sed utut id est, tamen quod supra iam monuimus, Callimachi disticha longe absunt a mira illa perfectione et arte, qua Tibullus formavit versus suos: saepius enim Alexandrinus, quamquam nullis argumenti rationibus poscitur, sententiam in medio hexametro subsistere permittit, aut complexionem unam cum per plura disticha volverit in medio pentametro includit. Quin etiam adeo sibi indulget, ut vel a medio pentametro orsam sententiam per hexametrum circumflexam in medio rursus pentametro finiat. cf. h. in L. P. 11. 17. 21. 37. 41. 51. 55. 59. 65. 67. 69. 72. 87. 89. 95. 98. 109 seqq. Apud Tibullum contra nil eiusmodi invenimus: sententiae finis cum distichi congruit: nunquam consistit in medio versu; ita hexameter cum pentametro implicatus est, ut ille nodum quasi nectat, hic expediat, ideo ille duriores caesuras patitur, hic non nisi molliores permittit. Nec minus Propertius superat Callimachum in hac re, qui voces trium syllabarum in fine pentametri devitat, ne durior ille anapaesti sonus aures laedat.

---

*) Exempla pravae huius in quarto pede caesurae trochaicae conlegit Naekius in Hec. pag. 32, 33.

II.

Transimus nunc ad ipsius Catulli elegiam, quam ad Qu. Hortensium Hortalum scripsit, ut comparantes hanc cum illis Callimacheis intellegamus, qua ratione Alexandrini illius vestigia presserit Romanus. Sed priusquam ad ipsam comparationem nos convertimus pauca praemittenda sunt. De hac enim elegia maxima est inter viros doctos dissensio. Lachmannus, Haasius, Rossbachius, Gruppius, Schwabius, L. Müllerus, Westphalius diversissima ratione aggressi sunt hoc carmen. Sed ut ipsi, quoad eius facere possimus, de hac re iudicare queamus, ad integrum hanc de elegia quaestionem restituemus. Vv. inde a 1—8 in omnibus leguntur codicibus. Post hos in Lachmanni L et D (i. e. Caroli Dati et Laur. Santenii), quibus summam auctoritatem et fidem vindicant Lachmannus et Hauptius, sequitur interstitium. V. 9 ‚Alloquar' . . . Parisiensis, Riccardianus aliique habent. Qui secuntur vv. ‚nunquam ego te' . . . . usque ad ‚gemens Itylei' omnes praebent codices. Schwabius quamquam dicit ad carmen CI v. 7 (Quaest. Catull. I, 276) Lachmannum nimium confisum esse libro Datano, tamen universe huius viri codicum bonitatem adgnoscere videtur. Quae cum ita sint, non est cur hic diffidamus L et D, itaque nostro quidem iudicio lacunae signum hic ponendum est. Quae quomodo explenda sit alia est quaestio: nec possum mihi persuadere Lachmanni restitutionem, quamvis sit ingeniosa et veri similis, (interstitium illud supplevit ex 68a 20—24 et 68 b 92—96) quovis supersedere dubio. Ergo cum L. Müllero optimorum codicum auctoritatem secutus post v. 8 lacunam statuo.[22])

---

[22]) R. Westphal (Cat. 1867 pag. 62 seqq.) lacunae signum delevit; ceterum a partibus Mülleri stat.

Vv. 9—14 quo iure Haasius, Schwabius, Rossbachius quique horum secuti sunt vestigia codicum scripturae vim inferentes carmini LXV abiudicarint non video. ‚Nam ut ipsius L. Mülleri verbis utar —[23]) quod dixerunt quidam[24]) versus (9—14) si retinerentur in c. LXV nimis retardare orationis cursum obliti sunt illi similes parentheses et alibi et maxime in elegis Catulli occurrere complures‘ . . . Vv. ‚Alloquar, audiero‘ . . . . usque ad ‚fata gemens Itylei‘ . . Haasius post c. CI v. 6 inserendos esse statuit, quam coniecturam arripuit Schwabius[25]); sed quamvis mihi quoque arrideat, tamen ingeniosa haec sententia vix mihi probatur: primum enim (quod L. Müllerus iam monuit in ed. Cat. ann. 1870 praef. XXXII) permirum est, quanam causa sit effectum, ut versus tam longe aberrarint a sua sede. Mitto praeterea (quod parvi est momenti) quod codicum nullus interstitium habet post c. CI v. 6. Huc accedit quod in c. CI v. 6 ‚Nunc tamen interea‘, in quo plerique haesitabant editores, satis aptum praebere mihi videtur sensum, ut defectu laborare carmen vix putare possimus: dicit poeta hoc: Quamquam, quandoquidem fortuna te mihi abstulit, vana sunt munera quae tibi dono, et mutam nequicquam alloquor cinerem (nam nec munera haec nec verba mea te mihi reddent) nunc tamen interea (‚bis auf Weiteres‘) i. e. donec melius aliquid facere potero, donec ipse mortuus una tecum ero, accipe pia quae decent inferos munera.[26])

---

[23]) In praef. edit. cat. ann. 1870 pag. XXXIII.

[24]) cf. Rossbachium ed. Cat. ann. 1854 pag. XVI.

[25]) Schw. Quaest. cat. I pag. 272 seqq. [et contra pag. 180.]

[26]) L. Müllerus post v. 6 lacunae signum posuit. Lachmannus, Hauptius, Heysius, alii integrum carmen esse censuerunt. cf. praeterea, quae R. Westphalius (Cat. 1867 pag. 167 – 169) de carm. C I disseruit, cuius sententia pro ‚nunc tamen interea‘ cum Datano ‚nec tamen interea haec‘ scribendum esse mihi ideo non probatur, quod quo referam illud ‚tamen‘ intellegere me non posse fateor.

Restat ut quae de 6 ultimis c. LXV versibus dicenda sint levi attingamus brachio, quam rem paucis absolvere possumus, cum quae potissimum de hoc loco disputata sunt a Riesio (in dissert. supra denot. pag. 498) bene composita et examinata sint. Ne igitur cramben recoquamus in Lachmanni, Hauptii, Schwabii, Gruppii, Mülleri, aliorum sententiam transimus non sciungendos esse hos versus a. c. LXV nec cum Rossbachio, Westphalio fragmen intelligendos carminis a Catullo ex graeco Callimachi conversi.

Sed redeundum est, unde digressa est oratio.

Ac primum quidem, quod est argumentum carminis? Q. Hortensius Hortalus ad quem scriptum videmus hanc epistolam idem est, quem postea in c. LXXXXV inimice persecutus est Catullus. Cavendum igitur est, ne arbitrere interiorem fuisse Hortensi et Catulli amicitiam. Nec inest in c. LXV, si diligentius rimamur, cur familiariter usus esse Hortalo Catullus credendus sit. Suo igitur iure Schwabius dicit in versibus illis:

Sed tamen in tantis moeroribus, Hortale, mitto etc.

nil nisi urbanitatem quandam inesse inter homines elegantiorum morum vulgarem. Sed quid hoc ad rem? Jam ex eo, quod modo diximus, evincitur, minus interfuisse Catulli ut epistolam daret ad Hortalum, quam ut data occasione amatissimi fratris memoriam magna cum pietate celebraret graviterque afflictum animum relaxaret: ut verbo dicam mera haec est elegia in epistolae formam redacta. Recte igitur Schwabius[27]) dicit versus illos de fratris interitu quasi impetum totius carminis LXV esse. Mitto, quod ipsorum versuum numero hoc iam verisimile evincitur: nam quae post v. 8 exciderunt procul dubio de fraterna morte agebant: ergo certe elegiacae de fratris interitu lamentationes maiorem carminis partem amplexae ipsum poematis

---

[27]) Quaest Cat. I pag. 180.

argumentum sunt. Itaque summa carminis LXV non in iis posita est 8 versibus (1—4 et 15—18) quibus expressa Battiadae carmina Hortalo transmittere se dicit, sed in ipso illo fraternae mortis elegiaco fletu. Non nisi externa carminis forma versus sunt illi Callimacheo more circumscripta poemati lyrico, quae ipsi elegiae ansam praebeat. Sedatiore exorditur poema oratione:

Etsi me assiduo confectum cura dolore
  Sevocat a doctis, Hortale, virginibus,
Nec potis est dulcis Musarum expromere fetus
  Mens animi . . . .

hic inde a verbis: tantis fluctuat ipsa malis . . . ipsi versus elegiaci coloris incipiunt. Videsne consimile artificium in carminis compositione cuius supra iam ad c: LXVI v. 1 et LXV v. 76 et 212 fecimus mentionem? Initium sumit poeta ab ipso dolore suo, quo sit impeditus, quominus carmina componere possit, tum regrediendo causam aperit maeroris, ut exinde procedat ad primorum versuum sententiam. Quo fit ut totum carmen utrimque bene cingatur et definiatur. Mala illa (v. 4) intelleguntur primi versus assidui dolores; novi igitur nil additur sed hac repetitione ex Callimachi more sensim transitur ad sequentes versus lyricos:

(* Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
  Pallidulum manans alluit unda pedem,
Troia Rhoeteo, quem supter litore tellus
  Ereptum nostris obterit ex oculis.
Alloquar, audiero nunquam te suave loquentem,[28])
  Nunquam ego te, vita frater amabilior,
Aspiciam posthac. at certe semper amabo,
  Semper maesta tua carmina morte canam —

---

*) Hac particula semper regredi poetam cf. ad. c. LXIV 76, 212 et postea c. LXVIII b 11, 47.

[28]) De horum versuum lectione cf. R. Westphal Cat. Ged. pag. 63 seqq.

uberius profluunt querellae ex vulnerato poetae pectore: veri sunt affectus, veri dolores, verae lamentationes; omnia sunt simplicia, nil artificiosi, exquisiti, tumidi; immo ex ipsa simplicitate, quae Tibullianae dictionis memoriam revocat, veritas affectuum cernitur. Callimachi contra versus elegiaci, quamvis insignes iucunda quadam nec insuavi mollitudine, tamen artificiosi, contorti aliquid habent: argutias sectatur Cyrenaeus, nec placent ei simpliciter dicta. —

Sequens distichon (vv: 13—14) remisso animi ardore et impetu trito paene et vulgari exemplo addito elegiacam carminis partem rhetorice includit:

Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Itylei;

quibuscum verbis cf. h. in L. P. 94:

μᾶτερ μὲν γοερᾶν οἶκτον ἀηδονίδων
ἄγε βαρὺ κλαίουσα . . .

Vv. inde a 15 usque ad 18 ad carminis initium respicientes *ἀπόδοσιν* addunt et externam elegiae formam definiunt:

Sed tamen in tantis maeroribus, Hortale, mitto
Haec expressa tibi carmina Battiadae,
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo —

His verbis finitur elegia; quod sibi proposuerat poeta, perfecit: tamen in eo non acquiescit Catullus sed praeter omnium exspectationem turbans carminis concinnitatem et in orbem quasi volutam formam*), per tria disticha similitudinem addit,[29]) ut more Alexandrino totum poema nescio quo splendore afficiat. Quid hi versus ad rem? quamvis vera, acuta, pulcra sit similitudo, tamen nimis artificiose

*) Nec minus carm. LXIV peroratio inexspectata (vv. 384—408).
[29]) cf. ad c. LXIV v. 105 seqq. 269 seqq.

adiecta est nec nisi emblema Alexandrinum supervacaneum intellegere eam possumus:

Ut missum sponsi furtivo munere malum[30])
  Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miserae oblitae molli sub veste locatum,
  Dum adventu matris prosilit, excutitur:
Atque illud prono praeceps agitur decursu,
  Huic manat tristi conscius ore rubor.

Persuasum igitur nobis est, totum hoc Catulli carmen, quod ad compositionem et dispositionem attinet, prorsus esse Callimacheum: Alexandrina ratione externa forma cincta est elegia, cui ipsa innectatur; Alexandrina ratione artificium illud adhibetur, quo in quadrum redigatur carmen; Alexandrina ratione similitudo illa quamquam non suo loco annexa est elegiae, quo latius splendeat: nisi quod querellae illae de fratris interitu, qua sunt naturali simplicitate et vehementia, a Callimachi ratione artificiosiore longius absunt.

Sed haec quidem hactenus.

Sequitur ut nunc accuratius examinemus quid de carmine LXVIIIa[31]) ad L. Manlium Torquatum scripto disserendum sit. Ac primum quidem compluribus hoc carmen laborare obscuritatibus, quae difficiliores sint interpretatu Westphalius iam monuit.[32]) Nam vv. inde a 11 et 27 docent nos Romae fuisse Torquatum ibique eius fructum fuisse hospitio Catullum. Mirum igitur videatur necesse est Manlium petere ab hospite ‚Musarum et Veneris munera' i. e. propria carmina et libros ex bibliotheca Catulli, cum ipse

---

[30]) de pomo amatorio cf. Dilthey Cydippa 65 seqq.

[31]) Iure enim plerosque editores a v. 41 novum incipere carmen etsi in codd. sequens elegia nullo spatio interiecto continuo adiungatur, exponit Schwabius in Quaest. Cat. I pag. 71. Praeterea de L. Manlio Torquato cf. Schw. Q. C. I pag. 342—343.

[32]) R. Westphal: Catull's Gedichte pag. 66 seqq.

Romae ex scriniis librariorum quam plurimos sumere posset. Ergo parata est suspicio non iam Romae fuisse Manlium illo tempore, sed (qui erat mos nobilium Romanorum) rusticatum tum esse in villa aliqua et inde scripsisse amico epistolam, ad quam hic respondet Catullus. Non tamen omnis solvitur suspicio, qui factum sit, ut Torquatus ignoraret non nisi unam secum sumsisse capsulam. Tum vv. 27—30:

Quare quod scribis Veronae turpe Catullo
Esse, quod hic quisquis de meliore nota
Frigida deserto tepefactet membra cubili,
Id, Manli, non est turpe, magis miserum est

obscuriores sunt cum Torquati litterae non exstent amplius: scripserat sine dubio Manlius Catullo, turpe esse ei, viro urbanitatis deliciis assueto, Veronae rusticanam et inconditam degere vitam et petiverat ab eo ut Romam se conferret: ad quae respondet poeta, hoc non tam turpe esse quam miserum, quod fractum fratris morte taedeat eum Romae eiusque lenociniorum. —

Offendit denique Westphalius in v. 33: in distichis antecedentibus adhuc nisi de propriis Catulli carminibas sermo non fuit, quem vv.

Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,
Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo

finiunt. Sequentes versus, quibus agitur de libris ex bibliotheca mittendis, cum particula ‚nam‘ inducantur, ecquid causae addunt antecedentibus? Minime, sed per ἔλλειψιν hoc ‚nam‘ interpretandum esse puto. Subauditur enim iam in versus 32 ‚muneribus‘ alterum donorum genus, libri ex bibliotheca mittendi; ignosces, si tibi propria carmina non tribuo, nec magis libros transmittere possum, nam etc. . .

Ceterum hoc quoque carmen Alexandrino more compositum videtur: externi elegiae fines versus sunt, quibus poeta ad Manli preces respondet (1—14 et 31—40); inter-

positi sunt de fratris morte dolores, qui in medio collocati et lyricos spirantes sensus principalis sunt carminis pars. Quo compositionis genere efficitur, ut carmen regrediens unde exorsum sit, utrimque bene cingatur et quasi rotunda eius evadat forma. Quin etiam ipsae partes carminis eodem modo in quadrum redactae sunt: vv. 20—24 (apostropham continentes ad fratrem) versibus inter se respondentibus includuntur: 19

Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit,

et 25:

Cuius ego interitu tota de mente fugavi
Haec studia atque omnes delicias animi.

Nec minus tota lyrica elegiae pars similibus versibus utrimque definitur: idem enim est sensus versuum 13—14:

Accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas —

et vv. 31—32:

Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit
Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo. —

Venimus nunc ad c. LXVIIIb, de quo a viris doctis diversissima facta sunt iudicia. Muretus summis id laudibus effert, quo nesciat an ullum unquam conditum sit praeclarius et venustius; ex recentioribus huius elegiae commentatoribus Gruppius eam monstruosam, tumidam, contortam vocat, quae vix legi queat. Ingeniosissimam de hoc carmine sententiam Westphalium protulisse puto, qui in libro saepius iam allato pag. 72—100 miram huius elegiae compositionem ita declarare studuit, ut encomi formam in pangendo carmine illo adhibuisse Catullum probare conetur. Ad quam sententiam quamvis ingeniosam tamen accedere nequeo.

Primum enim tertia et quinta poematis pars, *κατατροπὴ* et *μετακατατροπὴ*, quae non nisi breves transitionis sun

formulae in hac elegia per 14 et 30 vv. volvuntur, ita ut plus quam deceret, iis tributum esset momenti; tum illis Catulli temporibus vix credendum est usui etiamtunc fuisse antiquam illam et obsoletam Terpandri formam. Immo septem illae partes, quibus re vera conficitur carm. LXVIIIb, quaeque cum encomi septem membris congruunt, argumenti magis debentur naturae, quam consilio poetae antiquam illam et solemnem carminis formam imitantis. Tres sunt res, quas sibi celebrandas proposuerat poeta: gratum erga amicum animum, Lesbiae amorem, pietatem fratris. Videbimus Catullo, quo est studio Callimachi poesis imitandae, ut carmen in quadrum redigeret his septem partibus opus fuisse, ita ut in 9 vel 11 distribuisset carmen, si non tres, sed quattuor res celebrare voluisset. Quod si simplici hac ratione miram carminis illius compositionem satis declarare possumus, quid opus erit ad artificiosiorem illam et remotiorem confugere rationem?

Vidimus (in c. LXIV, LXV, LXVIIIa) id semper egisse Callimachum eiusque sectatorem, ut oratio in circulo decurrens unde exorsa esset, rediret. Quod si duae res erant in carmine tractandae, si duabus conficiebatur argumentum partibus, illo usus est artificio ut unam, quae ad lyricum genus propensior ipsius elegiae impetus esset, in alteram, epicae poesi propiorem, insereret. Ita c. LXIV hoc praebet σχῆμα:

(Epithalamium Thetidis et Pelei (Ariadna et Theseus) Epithal. Th. et P.)

Consimili modo c. LXV et LXVIIIa[33]) composita sunt: c. LXV:

(Epistola ad Hortalum (de fratris morte querellae) epistola ad Hort.)

[33]) C. LXVI eo differt ab his, quod epica carminis externa forma non utrimque cingit elegiacam poematis partem sed invicem epica et lyrica oratio commutantur. Eadem ratione Cydippa Callimachi videtur fuisse composita.

et c. LXVIIIa:

(Verba ad Torquatum. (fratris interitus.) verba ad Torquatum.*))

Ergo c. LXVIIIb, cum tribus eius conficiatur argumentum partibus, in quinque nimirum membra distribuendum erat:

(III Ad Allium: (II Lesbiae amor. (I fratris mors.) II a Lesbiae amor.) IIIa Ad Allium:)

Sed cum vinculo quodam opus esset, quo II et I et IIa coniungerentur subtili arte interposuit Catullus Laodamiae historiam, ut quae ansam praeberet et ad Lesbiae amorem et ad fratris mortem. Ergo σχῆμα, quod evadit hoc est:

[IV Ad All. (III Lesb. amor. (II Laod. (I fratris mors.) II a Laod.) III a L. a.) IV a Ad All.]

Vides, quod certe non fortuito accidit, in el: LXV, LXVIIIa et LXVIIIb fratris mortem in medio positam esse carmine.

Si colorem versuum respicimus, vice versa lyricum poesis genus in epici locum succedit: ita, ut fratris mors et amor Lesbiae lyrica magis dictione tractentur, cum Laodamiae narratio et Alli laudatio ab epico genere propius absint. Jam igitur vides carminum LXIV, LXV, LXVIIIa componendi rationem in hac elegia bis adhibitam esse. —

Sed singula iam curiosius circumspiciamus.

Ac primum quidem inconcinnitas partium inter se respondentium (cf. pag. 9) prorsus est Alexandrina: ita enim se habet versuum numerus, quibus singula membra componuntur:[34])

---

*) cf. simillimam Hecales compositionem. (Naek. Hec.)

[Procem. (Theseus. taur. Marath. (Hec. hospit., fletus.) Thes. taur. M.) Peroratio.]

34) Quod a Tibulli et Properti ratione plane abhorret, quorum carmina plerumque symmetrica responsione composita sunt. cf. Groth. Quaest. Tibullianae, diss. inaug. Hal. 1872. Müllenhoff, Allgem. Monatsschrift ann. 1854 pag. 186 seqq.

IV	conficitur	5	distichis
IVa	-	6	-
III	-	11	-
IIIa	-	9	-
II	-	7	-
IIa	-	15	-
I	-	7	-

Quod saepius iam supra commemoravimus artificium (cf. pag. 14) etiam hic invenimus: incipit oratio ab Alli meritis; tum inde a v. 11: nam mihi . . . . (cf. transitionis hanc formulam in c. LXIV 76, 212 pag. 15 et c. LXVI 5 pag. 31) regreditur ad rerum initium, ad primam amantium felicitatem et exinde deorsum properans percurrit naturalem rerum seriem secuta fratris mortem, Lesbiae furta nutantemque fidelitatem, donec rursus unde digressa erat rediit, ad Alli beneficia poetaeque gratum animum.

Exordium et peroratio Alli nomen et merita celebrantia totum carminis corpus externis circumcludunt utrimque lineamentis, cuius quasi cor fratris mors est, quae sicut in medio carmine posita est, ita in poetae vita inter primi amoris felicitatem et imminens iam amantium discidium interiacet.

Vv. 11—32, quibus ineuntis amoris ardor describitur Alexandrinae poesis colore tincti sunt: doctrina omnia abundant, ut paene tumida evadat dictio: duobus exemplis amoris illustratur aestus; lacrimae decurrentes ex oculis similitudine ad normam Homerici usus latius deducta (cf. ad c. LXIV 105, 269 LXV, 19) curiosius describuntur, ut e vestigio novo exemplo subitum Alli auxilium inducatur: domum suam praebuerat amicus, quo amantes silentio noctis convenirent amorisque perfruerentur gaudiis. Hinc ut transgredi posset Catullus ad fratris mortem Laodamiae narrationem inseruit, quae quin mira et subtili arte a poeta ex mythis electa sit nemo erit, cui dubium videatur:

nam ut furtivus ille et ardens Laodamiae amor aptissime annecti potest ad Lesbiae clandestina et fervida munera, ita mors coniugis in Troiae litore optimam praebet ansam ad inserendum fratris interitum. In v. 33 ea transitionis forma adhibita est, ut Laodamiae introitus in Protesilai domum velut exemplum Lesbiae inducatur, cum in v. 47: Nam tum Helenae raptu . . . (cf. ad v. 14) postquam antea iam (in v. 40) dictum est amisso viro Laodamiae scelus esse punitum, narratio paullulum regrediatur et Troia nominata eadem ratione qua c. LXVI v. 15 transeat ad Ili detestationem fratrisque mortem. Vv. 37—38: Nil mihi tam valde placeat... comparati cum c. LXVI, 71 Pace tua.... Alexandrinae poesis notam prae se ferunt. Ultimum huius partis distichon: Sed Troia obscoena . . . . regrediens ad Troiae exsecrationem bene claudit medium hoc elegiae membrum (cf. Aconti sermonem amatorium pag. 14 not.)

Inde a v. 61 repetita vv. 45—46 sententia (cf. ad c. LXIV, 265 pag. 17) paucisque Protesilai morte commemorata regreditur iterum oratio ad depingendam amoris Laodamiae magnitudinem, ut inde annecti queat Lesbiae narratio, ubi in v 32 intermissa est.

Vv: inde a 67—90 Callimachi Musa essent dignissimi; consimiles sunt vv. 11—32: tantum erat barathrum, in quod amoris aestus detulerat Laodamiam, quantum prope Cylleneum Pheneum Hercules foramen, ut exsiccaret paludem, fodisse dicitur; docte duo quae secuntur disticha Stymphalia monstra commemorant, Eurysthea regem, Herculisque cum Hebe coniugium.[35]) Pertractato hoc exemplo vv. 77—78:

Sed tunc altus amor barathro fuit altior illo,
Qui durum domitam ferre iugum docuit

repetunt et in maius augent versuum 67—68 sensum. Statim — tam tumida est oratio — duo alia exempla inducun-

[35]) cf. pag. 22 not. 20.

tur, quibus quantus fuerit Laodamiae ardor depingatur, quaeque simili modo clauduntur ut supra in v. 77:

Sed tu horum magnos vicisti sola furores
Ut semel es flavo conciliata viro.

Inde a v. 91 pergitur in Lesbiae amore eodem, quo in v. 32 filum absciderat poeta, loco: procedit Catullus ad amatae infidelitatem. Sed quamquam Lesbiam acerbe vituperat, tamen poeta etiam tunc adeo puellae venustate et lepore deceptus erat, ut in eius furtis indulgenter coniveret et varias excusandi causas conligeret: ipsa Iuno omnivoli coniugis malae fidei patiens esse debet, et praeterea, quod est huius amoris furtivi genus, plura poscere non fas est.

Vv. 109 sqq. ad carminis initium relabentes circulum concludunt totamque finiunt elegiam.[36])

Sed haec quidem hactenus.

In metrica arte Catullus eundem, quem Callimachus, obtinet locum; nam cum hendecasyllabo versu egregie utatur, et aliqua iam exercitatione in hexametris versibus, quippe quos artificio quodam strophice componat repetendo semper eodem versu, in distichi formatione et usu vel tiro est. Vitia enim illa et virtutes, quae in Callimacho notavimus omnia in Catullo quoque observare possumus; disticha interpungendo distracta et lacerata, caesuras nimis duras, voces in pentametri fine longiores eiusque hemistichia similiter desinentia.

Restat ut pauca dicamus de c. LXVII, quod dialogum continet inter poetam, moechaeque ianuam. Hac elegia novum aliquid et vel inauditum nobis affertur: nam primum quidem tota haec ratio alternorum sermonum apud Callimachum nusquam invenimus, tum etiam in ipsis

---

[36]) His peractis artificiosam elegiae structuram admirandam esse libenter concedes. Attendas praeterea, quantum intersit inter pristinorum temporum carminum simplicitatem atque hoc doctum elegiae genus.

sententiis et verbis libertas quaedam satirica et licentia (ne dicam procacitas) superbit, quae adhuc in elegiis Catullianis nondum nobis occurrerat, cuiusque in limato illo castoque Callimacho nusquam ne exile quidem vestigium invenimus. Nam et sententiarum et verborum acerbitatem obscoenitatemque accuratissime devitare studet.[37]) Hac igitur ratione minime Catullus Callimachum secutus est, sed suae ipsius naturae indulsit. Qualia nobis praebent vv. 21, 27 nunquam scripsisset Cyrenaeus. Videmus igitur, quamvis studeat Catullus Alexandrini poetae vestigia in elegiaca poesi accurate premere, tamen non nusquam fervidum eius ingenium rudemque naturae vim fractis imitationis vinculis ultro ferri novaque ingredi itinera. Ceteris nominibus totus pendet ex Callimacho: Alexandrina est totius elegiae compositio: sunt externa carminis lineamenta ad epicum genus propensiora, quae, ut forma lignea pictam imaginem, ita lyrici coloris circumscribunt versus; est artificium illud, quo a posterioribus incipitur, tum regrediendo et exinde deorsum procedendo res ante actae percurruntur, donec redit oratio, unde exorsa erat; est certum illud transitionis genus, quo repetita priore sententia praeeuntia concluduntur et ad sequentia proceditur; est studium illud doctrina et exemplis carminibus spendorem addendi et quam fieri possit plurimas res brevissime in elegiae argumentum congerendi; est denique artis metricae ratio. — Sed effrenata haec loquendi licentia, quae ad satiricumgenus propensior est, iocationes illae Fescenninae et simplices illae voces naturae quas in c. LXV, LXVIIIa, LXVIIIb de fratris morte ex intimo poetae pectore nudas et sinceras prorumpentes videbamus, plane propriae sunt Catulli. Nec est cur mirum hoc putemus. Nam quod ad ingenii vim et naturae ardorem attinet multum interest inter

---

[37]) cf. Naekli Hec. pag. 69 init.

Alexandrinos illos Romanosque eius aetatis: illi enim erant quasi reliquiae temporis artibus litterisque ditissimi, quod iam dudum interierat, Catullus contra praenuntius quasi efflorescentis et enitentis temporis. Romanis erat virium integrarum et intactarum magna copia et quamvis studeat Catullus artificiosum, perpolitum, limatum Callimachum imitari, tamen ipsius Cyrenaei natura plane contraria est et data occasione perrumpit vincula Romanus nativumque suum aperit ardorem et impetum. —

Vita.

Natus sum Paulus Maximilianus Weidenbach id. apr. MDCCCXLIX Berolini, patre Theodoro Ernesto, pictore et magistratu regio, matre Erica de gente Steubecke. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis in regio gymnasio Joachimico Berolinensi imbutus maturitatis testimonio accepto a. d. X cal. nov. MDCCCLXIX inter cives universitatis Fridericae-Guilelmae Berolinensis receptus sum. A. d. II cal. iun. in numerum civium academicorum universitatis Lipsiensis relatus bello francogallico orto per duo semestria stipendia merui et Lutetiae Parisiorum oppugnandae interfui. Non. dec. an. huius saeculi LXXI iterum inter cives universitatis Fridericae-Guilelmae Berolinensis receptus per duo semestria studiis potissimum philologicis operam dedi. Audivi per hoc triennium lectiones illustrissimorum virorum: Baron, G. Curtius, Drobisch, Harms, Haupt, Huebner, Kahnis, Kirchhoff, Müllenhoff, Ritschl. Per duo semestria Hübneri societatis philologicae eram sodalis; per sex menses Müllenhoffii societatis theodiscae. Quibus omnibus viris clarissimis data hac opportunitate propter summa eorum de me merita gratias ago plurimas. —

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 464 6

FEB 26 1971

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 464 6